

PSALMI LI.

## MISERERE MEI

DEVS: ET CXXVIII. NISI DO,

MINVS ÆDIFICAVERIT &amp;c. REDDITI ELEGIAO

Carmine & scripti ad Mœcenates, perpe-  
tua obseruantia colendos.

<sup>A</sup>  
LAVRENTIO SZEGEDINO  
Vngaro.

In fine addita sunt Epithaphia ab eodem  
scripta.



VITEBERGÆ

ANNO M. D. LXIII.

AMPLISSIMIS AC PRVDEN-  
TIBVS VIRIS, PIETATE, VIRTUTE ET SAPIEN-  
tia præstantibus, D: Iohanni Mercatori Szegedino  
patri suo carissimo. D: Iohanni Literato Nagy. Et D:  
Benedicto Pap, Dominis suis ac Meccena-  
tibus perpetua fide & obseruantia  
colendis.

LAVRENTIVS SZGEDI S. D.

**P**restantes pietate uiri & Virtute, Patroni,  
Artis & ingenij fida columna mei.  
Vos loca Lencoridos uisendi causa fuistis,  
Hic ubi ceruleis uoluitur Albis aquis.  
Ingenuæ florent ubi sacræ Palladis artes,  
Plectrag, Ihespiadum docta iuuenta mouet.  
Auctus ut in liquidis doctaq; politior essem  
Arte, mihi fidam sæpe tulistis opem.  
Vos patriæ proceres, nos sancta corona, senatus,  
Vos humeris rerum ferre soletis onus.  
Vos locus ut Phæbò curatis in urbe supersit,  
Tendat ut ingenuæ Tyro per artis opus.  
Pro meritis æterna sequi uos gratia debet,  
Versibus est bonitas concelebranda pijs.  
Ergo mea extarent ut signa loquentia mentem,  
Nuncia quæ possent pectoris esse mei.  
Hæc sterili nostræ legi de rure camænæ  
Carmina, quæ uestro nomine scripta dedi.

Vilia

*Vilia sunt fateor nec tantis digna patronis,  
Namq; Aganippæo tota nitore carent.  
Hæc inculta licet patres, nullog; colore  
Sint ornata, precor suscipitote tamen.  
Est animi grati sane propensa voluntas,  
Viribus infirmis conspicienda magis.  
Si mihi maiores fuerint in carmine vires,  
Atq; Medusææ plenior artis ero.  
Dona feram clary forsan meliora, Nepotes  
Laudibus vt tollant uos super astra poli.*

PSALMVS LI.

Miserere mei Deus,

*S*umme Deus vasti iudex iustissime mundi,  
Cuius in imperio machina tota iacet.  
Respice me nimia peccati mole grauatam,  
Suscipias famuli vota precesq; tui.  
Nam tua non pauidas clementia reppulit vnq̃,  
Corde preces faciunt quas pia vota tibi.  
Esse tuum munus misereri Christe rogantis,  
Et dare quæ querulo poscimus ore soles.  
Agnoscoq; miser patratæ crimina culpæ,  
Te quibus offendi nocte dieq; Deum.

A ij

Pæ.

*Pœnitet ò nimium sceleris mitissime tanti,  
Pœnitet, & factò torqueor ipse meo.  
Cur ego criminibus cœlestem offendere Regem  
Sustinui fœdis, puluis & Umbra soli?  
Ut vincas homines stolidos animoq; tumentes,  
Vincere te nemò stare volente potest.  
Ergo age se miseros quicumq; fatentur & orbos,  
Tu medicam pauidis quam potes offer opem.  
Hoc mihi tum primum peccati virus adhæsit,  
Essem dum gravidæ flebile matris onus.  
Nota tamen bonitate tua sapientia facta est,  
Impia summorum corda superba latens.  
Tu mihi odoratos Hisopi asperge liquores,  
Mundus ero maculæ prorsus habebò nihil.  
Laueris obductam densa caligine mentem,  
Candidior pura mox niue totus ero.  
Si votis aperire meis dignaberis aures,  
Lætitiæ nobis causa frequentis eris.  
Nunc auerte tuum cernis quo crimina vultum,  
Damnosæ culpæ facta scelestâ tege.  
Lethiferas spurci pestes à corde repelle,  
Et puri dotes cordis habere iube.  
Numen in hoc habitet concedas corpore sanctum  
Corde quod in nostro uisceribusq; noua.  
Redde beatâ meâ securæ, gaudia menti,  
Flamine diuino corporis ossa foue.*

*Impius*

*Impius ut possit per me bene discere, Regni  
Cœlestis quæ sit semita recta tui.  
Qui patrata uidens supplex tua Numina poscet,  
Et tremula pauidus uoce rogabit opem.  
Totius ò mundi genitor Defensor & Autor  
Iustificæ qui tu iura salutis habes.  
Tu prohibe socium me cædibus esse malorum,  
Innocui ne sim sanguinis ipse reus.  
Tunc mea lingua tuas laudes sine fine sonabit,  
Quamuis nulla satis te cecinisse queat.  
Te ductore meum moderante & carmen in altum  
Assurgit, uires te mihi dante tuas.  
Thure tuum nomen ueneratus olente fuissetem,  
Sed tali non uis relligione coli.  
Nulla magis domino res cordi est, sacra nec vlla  
Gratior est quam mens tacta dolore sui.  
Respice pacato miseram iam respice uultu,  
Quæ tibi mirificè grata Siona fuit.  
Diruta fac iterum Solymæ stent mœnia firma,  
Qualia tranquillæ tempore pacis erant.  
Hi tibi tunc soli pro munere sacra sonabunt,  
Acceptum referent non dubitante fide.*

**P S A L M V S CXXVIII**

*Nisi Dominus ædificauerit.*

*Ni Deus ædificet, solus frustra ille laborat,  
Qui fieri humano cuncta labore putat.*

*A ij*

*Heu*

*Heu frustra vigilans urbis qui mœnia seruant,*  
*Excubias horum ni Deus ipse iuuat.*  
*Nil iuuat ante ortum radiantis surgere Phœbi,*  
*Nil prodest noctes, nil uigilare dies.*  
*Sollicitus uitæ cumulas tibi Mammona iniquum,*  
*Qui solet ad stygios ducere sæpe lacus.*  
*Dilectos ditat dominus per somnia tanq̃*  
*Impia nil sine quo sollicitudo ualet.*  
*Illius est donum sobolem generare Parentes,*  
*Ipsius ad nutum cuncta benigna cadunt.*  
*Strenuus ut miles ardens iam Marte sagittas,*  
*Non intermissas cum uolet ipse iacit,*  
*Et cursus hominum simili ratione feruntur*  
*Quos regit arbitrio Christus ubiq̃ suo.*  
*Talibus exundat domini quicumq̃ sagittis,*  
*Perpetuo cunctis iure beatus eris.*

**EPICEDION CASTISS: AC GE-**  
**nerosiss: Matronæ Anastasiæ, fideliss: coniugi, Clariss:**  
**uiri D: Vincentij Szmithai scriptum**  
**ab eodem.**

**C**uius in urbe docet diuinum dogma maritus,  
 Pestana asidue & curat ouile Dei.  
 Anastasia hoc paruo recubat conclusa sepulchro:  
 Terra tegit corpus Spiritus astra subit.  
 Casta grauis prudens hæc integritatis amatrix,  
 Et sanctæ cultrix religionis erat.

*Bis duo*

*Bis duo lustra suo concors cum coniuge uixit,  
 Protulit & casti pignora pulchra tori.  
 Quinq; uices socio est quia facta puerpera lecto,  
 Moses erat casti sarcina prima tori.  
 Et nisi mors isto castam rapuisset in æuo,  
 Mox alia rursus prole beata foret.  
 Egregia & probitas stirpem decorauit Auitam  
 Tam pia quam Costi filia Regis erat.  
 Digna uiro fuerat Szinthano fœmina sola,  
 Qui diuina docet dogmata Christe tua.  
 Casta piè ueluti uixit sic sida marito,  
 Hæc moriens potuit talia uerba loqui.  
 Nate Dei uiui pateant tua ragna precanti,  
 Sim modo pars sacri non aliena chori.*

**CARMEN PHALECIVM HENDECA-**  
*syllabum in tumulum optimæ Indolis pueri, Ioannis,  
 Filioli Clarissimi Viri Domini Alberti Ba; Czega  
 ledien; Pastoris uigilantissimi.*

**A***lberti iacet hoc loco Bakonij,  
 Pastoris soboles gemenda Ianûs.  
 Quam matrona grauis parens secundo  
 Partu protulerat docente patre,  
 In templo populum sacrata uerba,  
 Viuet mente tamen futurus hæres  
 Diuini Eloquij & poli nitentis,  
 Est à tristitia solutus omni.*

*Vitam*

*Vitam cum superis agens beatam ,  
 Nam celsi nitidas domos Olympi  
 Infantum docet esse paruulorum,  
 Christus progenies colenda patris.  
 Ergo Alberte genas tuas rigare,  
 Desistas lacrymis, senile corpus.  
 Et constanti animo trucem dolorem  
 Coneris sobolis Bakoni ferre.*

**ALIVD DVABVS SVIS SORORIBVS  
 Catharinae & Sophiae scriptum.**

**Μ**οῖρα μένει πάντας καὶ μηδεὶς ὄσι κεν ἀνδρῶν,  
 ταρμά κακῶν δάωται ὅς θανάτοιο φυγῆν.  
 ἔνθα κασιγνήτων μαλακῶς δυο σῶματα κῆται  
 ἄσπε ὁμῶς σέμνας λοιμὸς ἔμαρψε κακὸς  
 εἰλιπὶς ἐὼν αἰετὶς ὁ μονὸς ἐν βίῳ αὐταῖς  
 τῶνεκα εὐσεβέως καὶ τελέεσι βίῳ

*Pestis acerba duas rapuit mihi dira sorores,  
 Quas sine fine parens heu genorosa dolet.  
 Cara parens riuos lacrymarum siste tuarum,  
 Irriguis mater parce pudica genis .  
 Absumunt vitam violant in corpore mentem,  
 Tabificus gemitus cura querela dolor.  
 Nam Catharina Dei sanctorum in sede refulget,  
 Vt solet in claro stella nitere polo.  
 Et Sophia en simili suavis splendore renitet ,  
 Amplexu fruitur , colloquioq; Dei.*

**F I N I S**